

KURT SMOLAK

Universität Wien
e-mail: kurt.smolak@univie.ac.at

HOMO SUM – AMICUS SUM,
SIVE DE TERENTIO CHRISTIANO HROTSVITHAE
GANDESEMENSIS

ABSTRACT. Smolak Kurt. *Homo sum – amicus sum, sive de Terentio Christiano Hrotsvithae Gandeshemensis* (Homo sum – amicus sum, or about the Christian Terence by Hrotsvit from Gandesheim).

The most famous line from Terence, *homo sum etc.* (Heautontimoroumenos 77), has been interpreted in different ways under different circumstances by authors ranging from Cicero and Seneca in antiquity and Erasmus at the beginning of the modern age to figures of the 19th and 20th centuries, such as Friedrich Nietzsche, George Bataille, and Thomas Mann. Augustine of Hippo was the first to refer to Terence within a broader Christian context, and in the 12th century John of Salisbury equated the presumed philanthropic attitude of the Roman comedian and imitator of Menander with charity, the ultimate Christian virtue. Whereas most of the *testimonia* to the reception of Heautontimoroumenos 77 have already been identified and in part analyzed, a refined indirect ‘quotation’ of the line in question has been neglected: In a sort of réécriture of the initial scene of Terence’s drama, Roswita (Hrotsvit) of Gandersheim (10th century), in her hagiographic comedy ‘Abraham’, interpreted the even then proverbial sentence by introducing for the attitude of ‘humanity towards one’s neighbour’ both the Aristotelian definition of friendship (‘one soul in two bodies’) and a reference to the ideal of a Christian society with ‘one heart and one soul’ (Acts 4, 32). Thus the Terentian *humanum* is both paraphrased by and identified with both an other classical and a Christian concept of mutual human affection.

Keywords: Roman Comedy; Terence; humanity; charity; friendship; Christianity; hagiographic drama; Roswita (Hrotsvit) of Gandersheim

PARS PRIOR: DE FORTUNA SENTENTIAE TERENTII OMNIUM
PRAECLARISSIMAE

Cum annum aetatis agerem duodevicesimum, mihi contigit, ut studiis paululum intermissis animum corpusque et exercendi et recreandi nec non monumenta antiquitatis visitandi causa duobus amicis comitantibus Tauromenium, civitatem splendidam Siciliae olim Graecam, peterem. Aliter atque exspectaveram, praeter theatrum aliaque aedificia magnifica testimonium nobile cum litterarum Latinarum tum humanitatis Graecae per calles et vicos mihi deambulanti ex improviso fuit obvium. Namque in pariete deversorii cuiusdam exultioris

saeculo vicesimo ineunte aedificati legi verba haec litteris capitalibus inscripta: HOMO SUM HUMANI NIL A ME ALIENUM PUTO. Eum esse versum septuagesimum septimum fabulae palliatae Terentii Menandrum ipsum Latine redditis, quae nomine Graeco inscribitur *Heautontimorumenos*, Latine autem punitor sui ipsius, magister quidam scholasticus Italus, qui in eodem forte quo ego morabatur hospitio modestiore, mihi res novas discendi cupido indicavit, postquam ei exposui, quod inveneram. Sed non nisi aliquot annis post intellexi eam sententiam Latinam in iis esse ponendam, quibus vix ulla saeculis antiquitatem sequentibus, quin etiam usque ad nostram memoriam saepius laudata sit in terris altioris cultus atque humanitatis.

Id quomodo factum sit, iam multis non modo philologis classicis qui vocantur dignum visum est, in quod inquirerent. Quorum e numero tres eligam, qui sive ingentem copiam testimoniorum ex litteris Latinis aliisque Europaeis omnium aetatum collegerint sive explanationes singulorum locorum praebuerint. Quorum opusculis usus vel innixus locum unum ratione philologiae adhibita ipse proferre eiusque proprietatem in posteriore parte symbolae meae enucleare mihi in animo est; quo loco sententia Terentiana, quamquam non ad verbum affertur, tamen rei ipsi subesse patet, si traditionem litteras enarrandi rerumque maximam commutationem saeculorum praecedentium respicias.¹ Sed ab ipsis enarrationibus versus illius Terentiani inchoandum est.

Adolphus igitur Primmer Vindobonensis admodum clare monstravit sententiae illi, si contextum diverbii integrum rationemque personarum, quae inter se loquuntur, eorumque agendi vel loquendi modos perpendas, vix quicquam verae humanitatis, sed non nihil curiositatis inesse. Nam Chremetis senis, civis Attici, cum sententiam illam eloquatur, id maxime interesse appetat, ut e Menedemo vicino, qui nuper sedem ac domicilium iuxta praedium illius posuit, sub specie amici exhortatione humanitatis plena extorqueat, quid sit causae, quod laboribus in agro vel in horto peragendis satis tristis totos dies consumat, quiete et oblectationibus procul habitis. Non esse Chremes affirmat, quod Menedemus vereatur, ne libere atque expedite respondeat, cum ipse sit homo utraque indole, bona videlicet et mala, praeditus, ut sibi non liceat de quolibet homine eiusdem condicionis humanae particepem tamquam ex usurpata auctoritate iudicare. Attamen Chremes initio voti compos non fit. Neque enim Menedemus, verbis illius nimis familiaribus aliquantum diffidens, ad commercium loquendi, quae est via sensus, curas, gaudia invicem patefaciendi hominum maxime propria, paratum se praebet. Iterum denique ad colloquium sollicitatus promissa insuper ope in laboribus quotidianis ferenda, Menedemus Chremeti referre incipit, quibus curis ita vexari atque obrui soleat, ut ipse sibi poenas iniungat: Filium sese aequo durius rigidiusque educasse confitetur; quo factum esse, ut ille propter

¹ De fortuna sententiae Terentii a posteris laudatae cf. Primmer 1966; Jocelyn 1973; Lefèvre 1986.

amorem puellae cuiusdam humili loco natae, initio quidem levem tantummodo atque transitorium, denique domum paternam relinqueret omnemque parentum communionem vitaret.

Hoc satis dictum esto de contextu versus illius septuagesimi septimi in ipso exordio comoediae positi, cui versui Terentius non tantum imposuit ponderis, quantum imposuerunt, qui illum e fluxu colloquii excerpterent neglectoque tenore sermonis suo quisque explicarent commodo. Qui primi ita fecerunt, fuisse videntur grammatici. Nam ipsa antiquitate Terentium in scholis lectitatum esse constat, cuius sermone urbano puerorum facultas eleganter loquendi augeretur. Accedebat, quod versus ille, qua est concinnitate quoque esse aestimabatur humanitate, grammaticis maxime idoneus videbatur, qui haud aliter atque multi alii eiusdem poetae in usum sententiae in utraque fortuna utilis transiret. Inde sequebatur, ut in longissimas series sententiarum, proverbiorum, iuncturarum acrum reciperebatur. Eius generis litterarum in usum scholasticum conflatarum exempla sunt etiam Disticha vel Monosticha Catonis quae vocantur. Terentius itaque, notissimo Iulii Caesaris iudicio dimidiatus Menander,² in ea re eadem fortuna a posteris – non ab omnibus quidem – recipiebatur, qua ille ipse totus, cuius dimida pars esse per iocum perhibebatur, videlicet felicissimus ille generis comoediae novae quod dicitur Graecorum auctor, cuius operum reliquia sub forma γνωμῶν sive sententiarum in collectionibus Distichorum vel Monostichorum apud Graecos post antiquitatem superstites fuerunt aliter atque comoediae Latinae Terentii apud Latinos, donec non ante saecula undevicesimum et vicesimum maiores comediarum partes vel tota paene fabula, Δύσκολον dico, in papyris servatae in lucem prodierunt. Tamen Menandri versiculos, quem proximo maxime saeculo philologi aliisque antiquitatis laudatores summa veneratione extulerunt, non in contextu ullius comoediae ad nostra pervenit tempora, sed inter Monosticha servatur, ut qua intentione aut quo animo a poeta positus sit, discerni non possit. Inde nihil obstabat, quin a posteris pro sincera praedicatione verae atque integrae humanitatis, φιλανθρωπίας scilicet Gracorum, haberetur. Ecce verba notissima Menandri: ὡς χαρίεν ἔστ’ ἄνθρωπος, ἀν ἄνθρωπος η.³ Qualiscumque ergo fuit contextus versus illius in comoedia nobis ignota, id saltem constat poetam comicum de genere humano, si minus de cunctis individuis, at certe de ipsa eius indole bene iudicasse, cum affirmaret hominem tum vere hominem esse, cum gratia, comitate, clementia ornatus societatis humanae et suo et ceterorum usui non sine quadam liberalitate particeps sit. Nomen igitur humanum cum certis virtutibus ad hominum conversationem spectantibus coniungitur.

² Caesar, carminum fragmentum 1, 1 servatum apud Suetonium, in capite septimo vitae Terentii, in Aelii Donati vita Terentii inclusae.

³ Monosticha Menandri 562 (= Menandri quae supersunt, ed. Alfredus Körte – Andreas Thierfelder, Lipsiae 1953, fragmentum 484); versus traditur a Iohanne Stobaeo, in Ecloga 3, 3, 12. – Recte Albin Lesky (1971: 745) negat vim sensumque versus illius alia lingua apte reddi posse.

Postquam in regionibus Europae ad occidentem vergentibus inde ab aetate renascentis studii antiquitatis, cum Graeci Constantinopoli a Turcis expugnata in Italiam profisiscerentur et Italos amore cultus ac humanitatis imbuere coepissent, litterae Graecae iterum coli cooptae sunt, magistri et grammatici, qui semper sententiis brevioribus et vi morali abundantibus pro memoria ediscendis favebant, versui illi Terentii, quamquam, ut supra demonstratum est, in ipsa comoedia alia ratione posito, vim versiculi Menandri indiderunt, scilicet vaticinii verae humanitatis verique hominum amoris, qui nec singulorum originem nec fortunam nec ordinem societatis nec genus nec sexum aestimaret, sed ipsum, qualiscumque esset, hominem. Hoc igitur modo versus ille ad mores discipulorum formandos acceptabilis factus, propter praesumptam utilitatem mirum quantum innotesceret ac diffundebatur.

Sed tempus est, ut ex amplissima illa copia testimoniorum, quam litterarum Latinarum investigatores, ut supra iam annuntiatum est, ex omnibus fere generibus litterarum, omnibus aetatibus, omnibus linguis Europaeis coacervaverunt, nunnula exempla elegantur, explicitur, altius inspiciantur, quae quidem ad varias sententiam illam Terentii recipiendi rationes demonstrandas non nihil conferant.

Quod ad ordinem temporis attinet, inchoandum est a summis philosophiae ingenii Romanorum, Ciceronem dico et Senecam. Ille sententiam Terentii tribus locis laudat, in capite scilicet tricesimo tertio libri primi de legibus compositi inque capite sexagesimo tertio libri tertii de finibus bonorum et malorum scripti, nec non in capite tricesimo libri de officiis primi. Unoquoque loco Cicero sententiam Terentianam ad vitam activam hominum refert secundum Stoicos ope ipsius naturae aequae constitutorum; in primo vero queritur, quod homines, quamvis aequa indole praediti, in iudiciis ferendis valde inter se differant, ut id quod Chremes humanum vocet, re vera non sit commune omnium, quamobrem iura etiam existant inter se diversa. Idem altero loco, quem modo notavi, declarat propter commendationem hominis erga hominem ipsa natura agitante dedecere alterum in altero plus differentiae sentire quam communionis. Tertio tamen loco Cicero iam aetate proiectus – nam anno ante Christum natum quadragesimo quarto Marcum filium de officiis instruere instituit – concedit rerum alienarum curam suspicere reapse difficilius esse quam Chremes Menedemo persuadere temptaverit. Inde suspicari licet Ciceronem non fugisse Chremetem haudquaquam pura humanitate commotum, sed curiositate instigatum vicino diffidenti indicasse humani nil a se esse alienum.

Multo maiore affectu multoque ardentiore stilo Seneca sententiam poetae comicci velut nucleus sanctitatis morum laudibus effert, cum in paragrapho quinquagesima tertia epistulae nonagesimae quintae ad Lucilium datae, posteaquam verba Terentii more commentarii ad litteram laudavit, eos qui lecturi sunt, placita Stoicorum secutus monet, ut semper sibi sint concii dedecere homines, cum omnes in commune nati sint omniaqua communia

habeant, quicquam humani a se alienum esse putare. Nam comparatione ex usu rhetorum adhibita societatem lapidum fornicationi simillimam esse affirmat, quae casura, nisi invicem obstent, hoc ipso sustineatur. Si quomodo Seneca sententiam commentatus sit, profundius consideres, mox cognosces eum ad rationem contemplativam magis sese referre quam Ciceronem. Lucilio enim suadet, ut verba Terentii in pectore et in ore, id est sub utraque specie τοῦ λόγου, semper habeat, quo confidentius recta via vitae agendae incedat. Praeterea, quod homines ipsos eo tanti aestimat, quod homines sint, nec ex moribus diversis metitur, posteriore antiquitate dignum se praebuit, qui epistulis ficticiis testantibus Christianus et sodalis Pauli apostoli fieret.⁴ Inde etiam versui Terentii plus ponderis acquiritur.

Quae cum ita sint, non casu factum esse existimaveris, ut Augustinus, praelarissimus ille inter patres ecclesiae Latinos, in paragrapho quarta et decima epistulae centesimae quinquagesimae quintae sententiam Terentianam iam tum celeberrimam laudaret, quippe qua optime exprimeretur unam esse societatem omnium hominum: nihil enim aliud his verbis significari quam amorem proximi Christianis pro summa inter homines lege datum.⁵ Id etiam stultos ac fidei Christianae ignaros in theatris intellexisse. Solo nomine proximi Christianorum sermonis proprio Augustinus indicat rationem atque humanitatem Stoicorum in usum proximitatis et fraternitatis Christianorum esse conversam – ea quidem inducta differentia, ut mensura dilectionis humanae non ea ipsa esset, sed hominum amor Dei, nec pro communi bono natura rationalis poneretur, sed societas et congregatio Deum unum eundemque colentium. Ergo subaudiendum est religionem in locum integritatis morum pro vinculo communionis hominum naturaliter successisse.

Aliter vero atque Augustinus, undecim circiter saeculis post, id est anno millesimo quingentesimo octavo, de sententia illa iudicavit Erasmus Rotterodamus paedagogus ac philologus, et ipse inter praestantissima Europae ingenia numerandus. Is iudicio suo Ciceronem potius sequitur quam Senecam, id est rerum ipsarum, quales in hoc mundo sunt, rationem habet. Nam capite tricesimo opusculi, quod inscribitur Μορίας ἐγκώμιον, Latine autem *De laude stultitiae*, in rigorem Stoicorum, cuius generis ei fuisse videtur Seneca, ut a vera et solida hominum vita ac natura alienum invectus eos, qui ita sentiant, statuae mormoreae durissimae, omni sapientia carentis similes esse autumat, quippe cui deesset illud sensibus solis accessibile, cui ratio dux non praesit. Ergo stultitia duce opus esse, ut hominem humani nihil alienum sit. Hoc etsi effectus rhetorici causa παρὰ προσδοκίαν, sicut ipsa operis inscriptio, enuntiatum videtur esse, tamen aetatem studiorum humaniorum renascentium et animum atque

⁴ De epistularum commercio Senecae et Pauli cf. generaliter Fürst et alii 2006; Smolak 2010: 225–230.

⁵ Cf. Matth. 19, 19; Luc. 10, 27–36.

humanitatem Erasmi redolet. Ecce verba ipsius, quibus hominem vere hominem delineat: *comis in uxorem, iucundus amicis, bellus conviva, convictor facilis, postremo qui nihil humani a se alienum putet*. Haec qui legerit, facile intelleget Erasmus e ratione sophistarum rhetorumque posteriorum saeculorum stultitiam laudavisse, qua ratione demonstraret rem debiliorem argumentis apte propositis fortiorum reddi posse – exempli gratia Synesii Cyrenensis tractatus φαλάκρας ἐγκώμιον, id est *De laude calvitii*, afferatur. Secundum eiusmodi rationem materiae exponendae oportebat vim ac valorem rerum quidem invertere, hoc unum vero observare, ne nugae vel ineptiae inversione illa pullulent, sed novus quidam valor priori oppositus creetur. Id Erasmo in sententia Terentii retractanda ita contigit, ut, cum valorem non ad nobilia philosophorum placita spectantem, sed vitae in aliorum societate agendae et negotiis cottidianis magis congruentem notioni humanitatis adderet, ad intentionem poetae et ad tenorem fabulae proprius accederet quam philosophi supra commemorati, cum id ipsum eum lateret.

Egregio illi litterarum antiquarum cultori semper cordi fuisse constat linguam Latinam, quantum opus esset, ad usum Christianorum ita accommodare, ut una cum ipsa lingua excultiore valores et artium et morum earum aetatum, quibus ii florebant, Europaeis sive servaret sive recuperaret. In hoc studio ac favore eo usque processit, ut sub finem dialogi, quem de optimo genere scribendi compositum Ciceronianum inscrispit, fortunae Vergilii, Ovidii, Senecae memor, fortasse per iocum affirmaret Ciceronem, si temporibus Christianis fuisset, *ob vitam innocentem pieque transactam* – ita scribit – gradum sanctitatis fuisse adepturum.⁶ Eo maxime studio, scilicet veram vim priscam verborum verumque nec novatum sententiarum significatum retinendi, adductus, cum de rebus Christianorum ageret, verbis illis Terentii ad indicandum Christianorum amorem proximi non est usus, servato dialogi Chremetis et Menedemi tenore. Hanc litteras antiquas tractandi rationem pro signo novi erga antiquitatem habitus animi habere licet, quo tempora recentiora a saeculis praeteritis praecipue differebant.

Nam per mille circiter et centum vel plures annos litterae antiquae aestimatione et arbitrio religionis Christianae sive recipi solebant sive reici, quamvis media illa, quam vocant, aetate potissima pulcherrimaque opera Latine scripta in lucem prodirent, plura certe quam tota antiquitate, et nova litterarum genera et formae emergerent. Quibus tamen in omnibus fides dominabatur catholica, haud raro quidem non sine opprobriis.

Sub ea condicione rerum fieri non potuit, quin verba hortatoria Chremetis pro vaticinio poetae pagani acciperentur, quo ille aura quadam divina afflatus novum summumque Christianorum mandatum, amorem scilicet proximi, proprio

⁶ *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami*, p. 707, ll. 26 –29 (= Erasmus von Rotterdam, *Ausgewählte Schriften*, p. 346).

significatu nominis, id est in fundo vicino proxime habitantis, iam ante adventum Christi hominibus insinuaret, id quod Erasmus quidem procul habiturus erat, ut supra demonstratum est, Augustinus vero iam senserat neque tamen verbis expresserat. At clare enuntiavit philosophus Britannus inter doctos saeculi duodecimi excellens idemque auctor plurimorum operum doctrinae ac sapientiae plenorum nec non rerum gestarum testis fidelis, Ioannem Sarisberensem dico, qui in aula Thomae, cognomine Becket, archiepiscopi Cantuariensis, postea martyris in ipsa domo Dei interfecti, munere a secretis functus est. Qui in prologo libri tertii operis sui maximi, quod inscribitur *Policraticus*, id est de statu regendo, luculento sermone Latino de sententia Terentii tum inter verba volantia iam recepta fusius disputans expresse contendit, quod iam Augustinus adumbravit, nempe poetam comicum antiquum, quem in ipsa persona Chremetis loqui nec γνώμην quandam Graecam Latine reddere existimat, mandatum amoris erga proximum exhibendi, id est summam legem magistri caelestis, anticipasse. Ecce Ioannis illius Sarisberiensis de humanitate Christiana sententia: „*Non satis homo est, quem aliena non movent. Sed sapientioribus iam venit in dubium, an quicquam hominis recte sit homini alienum. Virtutis vero processus ambiguitatis huius nodum solvit, cum et comicus nihil humani a se reputet alienum et magister caelestis hominem homini diligendum docuerit ut se ipsum.*“ Idem Ioannes de vi atque usu sententiae Terentianae non respectu publico, ut ita dixerim, tantum meditatur, sed eam etiam ad res privatas bene ac humane peragendas non semel modo, sed sexies refert. Inter eos locos unus videtur aptissimus, qui explicandus eligatur. Inest autem in epistula centesima nonagesima quinta⁷ argumentum comoediae Terentianae omni simillimum, quod attinet et ad ipsam rerum agendarum complexionem et ad numerum personarum agentium earumque inter se necessitudinem. Namque in Ioannis quoque epistula duo viri, ut videntur, provectioris aetatis de dubia fortuna adolescentis cuiusdam colloquuntur, qui cum uno e colloquentibus cognitione coniunctus est – hoc loco consideretur iam antiquitate commercium epistularum pro colloquio dimidiato habitum esse. Adulsecenti igitur opem esse ferendam – fortasse pecunia oblata – Ioannes amico, ad quem litteras dirigit, persuadere studet exemplo Terentiano usus. Ita enim scribit: „*Humanum⁸ teste comico nihil caritas a se reputat alienum, sed per congratulationem recte gaudentibus adest et per compassionem dolentibus congregemiscit; suas tamen affectiones ordinatissima ratione dispensat, ut sint omnes in Domino, et humanitatis officia in singulos lege naturae et gratiae informantis magis aut minus exercet.*“ Haec qui saltim legendo percurrit potius quam perlegit, statim cognoscit Ioannem, cum poetam comicum laudet, animos eorum qui legunt ad cogitata et ad praedicationes caritatis advertere, quae sunt

⁷ *Epistolarium Iohannis Sarisberiensis*, epist. 95, p. 274.

⁸ Pro „humani“ in editione supra indicata „humanum“ ponitur; forte subest error traditionis codicum vel scribae cuiusdam, vel Ioannes ipse memoria labitur.

in paragraphis a quarta ad octavam capit is tertii decimi primae epistulae Pauli apostoli ad Corinthios datae, id est in ea parte, qua canticum canticorum caritatis, quod vulgo appellant, continetur. Nullam ergo differentiam, quod ad ipsam naturam humanitatis pertineat, intercedere inter Paulum, praeconem Christi, et Chremetem, id est Terentium ipsum, Ioannis ratione atque arte exponendi convictus putaveris.

Posteaquam nonnullis exemplis demonstratum est, quibus modis sententia illa in litteris Latinis usque ad aetatem antiquitatis renascentis exhibita atque explanata esset, longa series locorum afferri poterat e variis linguis variisque litterarum generibus extractorum, quibus et ipsis auctores Europaei occidentales, suo quisque arbitrio suoque sermone patrio, verba Chremetis iam pridem proverbii statum adepta in suum convertissent commodum.⁹ In eorum numero sunt ingenia clarissima, velut Matthaeus Bandellus Italus, qui dimidia parte posteriore saeculi decimi quinti Ioannem Boccacium imitatus narratiunculis ficticiis inter alia argumenta plus minus levia res amatorias voluptuose proposuit; ac velut Michael de Montaigne sive Montanus Francogallus, qui saeculo decimo sexto tractatulus de variis rebus concinne atque acriter egit; ac velut Christophorus Martinus Wieland et Iohannes Godofredus Herder Germani, qui saeculis duodecimeno exeunte vel undevicesimo ineunte in litteris scribendis et in philosophia novanda claruerunt; ac velut saeculo undevicesimo Fridericus Nietzsche philologus, poeta, philosophus et Theodorus Fontane, poeta, litterarum iudex, relator actorum diurnorum, uterque Germanus; ac velut saeculo vicesimo Georgius Bataille Francogallus, poeta et scriptor, qui de diversissimis rebus sive ad bonas litteras sive ad materias oeconomiae aliasque pertinentibus uberrime egit, et Thomas Mann Germanus, fabularum sermone soluto conscriptarum seu longiorum seu breviorum auctor florentissimus. Ille sententiam Terentii in opere, quod inscribitur L'Abbé C., anno millesimo nongentesimo quinquagesimo edito ad verbum laudat, hic in narratione ficticia de Felice Krull impostore anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto composita sententiam praesumptae humanitatis commemorat. Restat autem numerus satis amplius exemplorum, quae quidem afferre longum est. Itaque libet locum quendam in parte quae sequitur exponere, in quo aura humanitatis cum Graecorum, tum Menandri, quae sententiae adhuc tractatae subest vel subesse putabatur, mediantibus Latinis aequa spirat – servato quidem agendi tenore, mutatis vero ex industria et verbis et personis.

⁹ De his omnibus aliisque cf. paginas symbolae Eckard Lefèvre (1986: 44–49), in nota 1^a laudatae.

PARS POSTERIOR: DE COMOEDIA HROTSVITHAE, QUAE INSCRIBITUR
LAPSUS ET CONVERSIO MARIAE, NEPTIS HABRAHAE HEREMICOLAE.

Huc usque conatus sum exemplis ex litterarum traditione viginti et unius saeculorum promptis demonstrare sententiam illam Terentii, vel verbis ipsis laudatis vel persona poetae ipsius indicata, ab auctoribus posteriorum aetatum – e sua quaque ratione cogitandi – tractatam esse atque explicatam. Nunc vero retro vertantur gressus, scilicet in altum medium aevum, in ipsum decimum saeculum, in Germaniam septentrionalem. Ibi enim in coenobio canonissarum Gandeshemensi in Saxonia sito illa aetate fuit femina quaedam nobilis sanctimonialis, nomine Hrotsvit, quod lingua Theotisca nostrae aetatis sonat Roswita.¹⁰ Quae inter annos nongentesimum sexagesimum secundum et duodeseptuagesimum, ut e compluribus indicibus conici licet, composuit multa opera poetica Latina. Inter ea etiam sex comoediae sunt, quibus de vita vel de martyrio cum sanctorum virorum tum vel maxime feminarum agitur, quamquam spectacula theatrica illis saeculis nec publice dabantur nec privatim, ut re vera non ad spectandum composita sint, sed ad legendum vel recitandum. Sed quare comoediae vocantur? Quia bonum semper habent exitum. Christiani enim poenam vel corporis castigationem vel ipsam mortem pro nomine Christi susceptam optimam putabant, qua martyribus portae caeli ad vitam aeternam aperirentur. Quare numerus spectaculorum est senarius? Quia Terentius ille sex comoedias posteris reliquerat. Sciendum est autem Terentii comoedias etiam medio aevo in scholis monasteriorum pueris puellisque ex usu propositas esse

¹⁰ De vita et operibus Hrotsvithae egerunt: Rädle 1983; Dronke 1984: 55–83; Brunhölzl 1992: 406–416. – Opera omnia Hrotsvithae edidit Walter Berschin, Monachii et Lipsiae 2001; ibi etiam de vita poetiae deque temporibus, quibus singula opera sint composita, pp. a VII^a ad X^{am} adnotationes praebet. Non defuerunt tamen saeculo undevicesimo et ipso vicesimo, qui personam Hrotsvithae fictam esse censerent – perperam, ut nunc satis constare videtur – auctore vel instigatore Conrado Celte, poeta, doctore, philologo Germano, qui etiam apud universitatem Vindobonensem collegium poetarum et mathematicorum condidit primusque opera Hrotsvithae anno millesimo quingentesimo primo Norimbergae sub prelo edenda curavit editionemque imperatori Maximiliano primo eius nominis dedicavit. De ea re longius latiusque agendum hic non erit, cf. Smolak 2001b. – De nomine poetiae hoc notandum videtur: Quamquam verbis, quibus in praefatione comoediarum iis qui lecturi sunt, ipsa sese notam facit, quae sunt: *ego Clamor Validus Gandeshemensis*, nomen Saxonicum Latine reddi vulgo putatur (nomen quod est hrotswith significare [feminam] gloria fortem vel gloriosam monstravit Helena Homeyer (1970: 233, n. 3), tamen dubitandum est, verene sanctimonialis versione illa nihil aliud intenderit, quam ut nomen suum Latine praeberet, an potius etiam ad munus suumque erga puellas officium voce quam maxima et quae tamquam vox clamantis in deserto aures fallere non possit, proclaimandum alluserit, quo efficacius animas sive puellaras magistris in scholis monasteriorum agentibus commissas sive adultarum puras servet. Nomina enim validi clamoris, ut notum est, sumpta sunt ex paragrapho septima capituli quinti epistulae ad Hebraeos datae, quo loco Christus *cum clamore valido et lacrimis a patre, quae poposcerat, pro sua reverentia accepisse fertur*. Idem Hrotsvitha a Gerberga abatissa suaque fautrice petentem se videtur finxisse.

legendas,¹¹ etsi Augustinus sex paene saeculis ante in capite decimo sexto libri primi *Confessionum* negaverat eas propter argumenta deliciarum voluptatisque plena aptas esse, quibus liberi sermonem urbanum atque elegantem discerent. At idem pater ecclesiae versum illum de humanitate, ut supra demonstratum est, laudavit, quod ea sententia non ad Terentium solum velut inventorem, sed ad quamlibet congregationem humanam referenda optime exprimeretur unam esse societatem omnium hominum, quae nihil aliud esset atque caritatem proximi, id est summum praeter dilectionem Dei officium Christianorum.

Inesse ergo videbantur testante Augustino in comoediis Terentii etiam mores integri. Huiusmodi iudiciis incitata Hrotsvit illa corpus comoediarum ad sanctorum sanctarumque laudes spectantium componere aggressa est. Quae spectacula ita inter se cohaerent, ut argumenta e rebus in hoc mundo, velut in palatio imperatoris Constantini, agendis patiendisque ad res altiores et magis magisque spiritales et ad theologiam pertinentes gradatim ascendant: nam cum in prima comoedia Ioannes et Paulus, sancti milites, et Gallicanus, ductor exercitus, primas partes agant, in ultima ad exemplar Psychomachiae Prudentii feminae allegoricae in locum hominum succedunt, Fides scilicet, Spes, Caritas, summae Christianorum virtutes, et Sapientia, mater earum.¹²

In his comoediarum scalis, ut ita dixerim, a terra ad caelum pertingentibus, quartum locum obtinet comoedia, quae inscribitur *Abraham* sive *Habraham*, subscrribitur autem: *Lapsus et conversio Mariae, neptis Habrahae Heremicolae*. Abraham igitur, dramatis persona, non est patriarcha ille nobilis veteris testamenti, sed eremita quidam senior, Cidunensis, incola cellulae in regione deserta prope Edessam Syriae sita, ubi priore parte dimidia quarti saeculi vitam solitariam agit eo fine, ut vestigia Pauli Thebaei, Antonii aliorumque premens indefesse orando et a deliciis abstinendo vitam aeternam lucretur. Habet autem filiam adoptivam parentibus orbatam, cui nomen est Maria – certe, ut postea elucet, propter similitudenem aliarum mulierum sanctorum eiusdem nominis, scilicet Mariae illius Aegytiacae et Mariae Magdalena.¹³ Illam Abraham ad vitam virginalem et solitariam severe educando adducere studebat; sed a iuvene quodam incesto atque libidinoso per fraudem corrupta e deserto effugit, relicto Abraham avunculo, inque urbem quandam se contulit.¹⁴ Ibi quaestu meretricis vitam satis

¹¹ Prima comoedia, nomine *Gallicani*, principis militiae, inscripta, quamquam bipartita quidem est, tamen pro una numeratur. – Hrotsvitha causam, quare Terentium forma quidem et genere imitandum, argumentis vero meliorem reddendum sibi proposuerit, eam esse in praefatione indicat, quod *colloquia turpium feminarum* loquellis et actibus piarum substituere studuerit.

¹² De hoc arguento cf. Smolak 2001a.

¹³ De sancto Abraham Cidunensi (nomen loci hodiernum est Kadin, quae est tribus urbana urbis Edessae, hodiernae Şanlıurfa Turciae) cf. Wimmer, Melzer 1982, sub voce; Gorys 2005, sub voce.

¹⁴ In *Lexikon der Namen und Heiligen* (Wimmer, Melzer 1982), sub voce Maria Büßerin, urbs illa Assus in Troade sita fuisse traditur; Dronke (1992: 80) nullo arguento enuntiato Alexandriam

bene sustentabat. At Abraham non desierat usquequaque neptim quaerere, donec eam biennio peracto in deversorio ac luponari invenit. Tum hospitem deliciarum cupidum sese fingens lenonem servitium meretricis delicatissimae postulavit. Ubi ergo assumpto amatoris habitu cum Maria cubiculum intravit, ei quis esset revelavit. At illa, animi vehementer commota, lacrimis paenitentiae obortis una cum Abraham statim in desertum reversa per multos annos in cella solitaria vitam egit paenitentis. Qua de causa in litteris hagiographis etiam Maria paenitens vel meretrix appellatur.¹⁵ En habes argumentum fabulae, quo Hrotsvitha e fonte Graceo in linguam Latinam verso pro fundamento rerum agendarum usa est similiter atque Terentius exemplaribus Graecis uti solitus erat.¹⁶

Sed convenit inspicere, qua arte poetria Gandeshemensis comoediam exordiatur. In primo igitur actu duos eremitas seniores p[re]e cellis suis colloquentes inducit, Abraham scilicet et Effrem, qui usque ad horam laudis Dei explendae hoc modo tempus fallere student. Paucis verbis vicissim emissis Abraham pro firma inter ipsos amicitia ab Effrem verecunde ac dubitanter petit, ut sibi curis oppresso aurem accomodet (I 2): *Quiddam, ait, agendum mihi exaestuat mente, in quo tuum velle meis votis exopto respondere.* Ad haec Effrem comiter respondet, cum veterem illam notissimamque definitionem amicitiae ut unius animae in duobus corporibus habitantis eloquitur (I 2): *Si unum cor unaque nobis anima iubetur esse idem velle idemque cogimur nolle.* His auditis Abraham de perversa voluntate Mariae, filiae adoptivae pulcherrimae, de tutela sua fugere illecebrisque mundanis frui cupientis fusius narrare incipit, dum Effrem vicino atque amico diversa quaerenti libenter respondet. Nonne ipsum exordium *Heautontimorumeni* Terentiani huic colloquio eremitarum subesse in propatulo est, si alterum textum cum altero compares? In parte enim initiali utriusque comoediae duo senes de pravis, ut iis videntur, moribus hominis cuiusdam iunioris tum demum colloquuntur, postquam unus ab altero facultatem libere loquendi impetravit. In utraque parte colloquentes ad fundamentum quoddam utriusque commune sese referunt, quo alteri liceat alteri fidem exhibere.¹⁷ Quod fundamentum commune Chremes Terentii versu illo exprimit,

proponit, fortasse quia comoedia tota suppresso nomine loci auram eremitarum Aegyptiorum spiret. Sed hoc nihil ad rem.

¹⁵ De Maria paenitente vel meretrice, quae et ipsa una cum Abraham avunculo etiam in ecclesia catholica die decimo sexto mensis Martii pro femina sancta colitur, cf. notam praecedentem.

¹⁶ Vita Abrahae eremitae et Mariae, neptis eius, Graeca edita est in Patrologia Graeca 115, coll. 43–74; versio Latina interpretis anonymi eodem sexto saeculo confecta in Patrologia Latina 73, coll. 283–292; 651–660; exstat etiam textus Syriacus. Ea vitae descriptio Ephraim Syro, celebri poetae Christiano, falso adscripta est. Quantum litterae Graecae aetatis Byzantinae Latine versae in operibus Hrotsvithae componendis valuissent, monstravit Nicolaus Staubach (1991: 356–364).

¹⁷ Hrotsvith, quamquam Ephraim illum Syrum (cf. notam 16), utpote qui magister Mariae fuisse traderetur et etiam in ecclesia occidental[i] gradum sanctitatis obtineret, sine dubio bene noverat, tamen materiam ita tractavit, ut ille notitiam puellae ad id temporis non habuisse videretur. Hac ratione ad exordium comoediae *Heautontimorumeni* proprius accedit. Praeterea

de quo in parte priore actum est, scilicet: *Homo sum, humani nil a me alienum puto!* Effrem vero, senex eremita Hrotsvithae, in ipsum locum huius sententiae aliam sententiam originis Graecae, non minus notam, substituit, scilicet definitionem amicitiae ut unius animae vel voluntatis communionis duorum modo commemoratam,¹⁸ inducta verborum iunctura Actuum Apostolorum.¹⁹ Hac mutatione, quamvis levis videatur, humanitas Graecorum velut Menandri in ipsis hominibus sita non modo in amicitiam sensu ac ratione eorundem Graecorum conceptam, sed etiam in mandatum illud novum, quod est invicem diligendi, a Christo ipso sequacibus datum transit, id est a rebus humanis in res divinas. Ita fit, ut locum motus atque affectus hominis vere humani iussio divina occupet, qua homo cogatur esse homo sensu Menandri.²⁰ Hoc redolet spiritum vere monasticum. Utcumque res se habet, saeculo decimo in Saxonia eruditis litterarumque Latinarum antiquarum peritis certe satis fuisse evidens est sententiam aliquam humanitatis plenam, quae quidem speciem amicitiae Christianae utpote excellentissimae formae communionis humanae prae se ferret,

notandum est Abraham et Effrem non fuisse fratres consanguineos, sed secundum locutionem cum Christianorum, tum monachorum fraternitate spiritali coniuctos. Inde fallitur González Caballo eiusque argumentum cum silentio adhibitum, quo supposita fraternitate naturali exordium comoediae Hrotsvithae cum primo tantummodo actu *Adelphorum* Terentii comparat, ubi Micio et Demea fratres senes in scaenam prodeunt: Antonio González Caballo (2016). Re autem vera actus primus Abrahae exordium *Heautontimorumeni* potius redolet, quoniam in eo solo alter causam doloris novam cum altero familiariter communicat et una tantum persona iunioris aetatis senioribus curae est neque duae ut in *Adelphis*.

¹⁸ Definitio amicitiae ut unius animae in duobus corporibus collocatae Aristoteli adscripta a patribus Ecclesiae saepe laudatur, e. g. afferatur locus in capite sexto libri quarti *Confessionum* Augustini; voluntatis autem communionem egregie expressit Sallustius in paragrapho quarta capituli vicesimi *De coniuratione Catilinae* libri: *Idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est.* Opera Sallustii auctore Augustino in libro quinto *Civitatis Dei* tota aetate media in scholis lectitabantur.

¹⁹ Act. Apost. 4, 32: *multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* – Notandum est phrasin hanc post aetatem Hrotsvithae, sed non ante saeculum duodecimum saepius cum notione amicitiae coniungi, velut inter alios Alredus Rievallensis in linea centesima sexagesima tertia libri primi *De spiritali amicitia* scribit: *Nonne secundum Tullianam diffinitionem (sic!) verae amicitiae virtute pollebant, de quibus scriptum est: credentium erat cor unum et anima una?* et in linea centesima quinquagesima prima libri secundi: *Amicus in spiritu Christi adhaerens amico, efficitur cum eo cor unum et anima una.* Consentaneum ergo Hrotsvithae visum est locum e Scripturis Sacris excerptum afferre, ut veram amicitiam pro vera humanitate, quae sit caritas Christianorum, laudaret, cf. eiusdem Alredi verba in linea sexagesima secunda eiusdem libri posita: *Tullium verae amicitiae ignorasse virtutem, cum eius principium finemque, Christum, penitus ignoraverit.* – Versus itaque ille Abrahae est inter locos, quibus Hrotsvitha, siquidem opera eius re vera eius sunt, litteras posteriores videtur anticipare, velut versibus centesimo septuagesimo secundo et tertio vitiae metricae Theophili, qui sunt: *Quid dicturus ero nimium peccator in illo / tempore iudicii sanctis ipsis metuendi?,* verba sequentiae illius celeberrimae medii aevi posterioris de *Die Irae* compositae subesse videntur, quae sunt: *... dies illa ... quid sum miser tunc dicturus ... cum vix iustus sit securus.*

²⁰ Ioh. 13, 34; epist. Ioh. 1, 2, 8; epist. Ioh. 2, 5.

ab Hrotsvitha ex industria in eodem genere litterarum inque eadem loquendi ratione, diverbio scilicet, eo praecipue loco esse positam, ubi Chremes apud Terentium se hominem humanum esse professus erat; agnoscerent ergo ei qui loqueretur, et ipsi non modo nihil humani esse alienum, sed etiam iussa divina esse religioni.²¹ Huc accedit, quod poenia, cum in tot minutiusculis cum Terentio concordet, in una tamen re, utpote callida aemulatrix, ab eo ita discordat, ut partes loquentium invertat, id est e contrario imitetur: Namque apud Terentium is, qui curis fatigatur, initio ad loquendum non paratus, sententia humanitatis rerum novarum cupiditate enuntiata ad colloquendum sensim commovetur, apud Hrotsvitham vero Abraham curis depressus sponte sua colloquium cum amico petit, qui sententia amicitiae, rerum humanarum humanissimae, animum amici colloquium petentis quidem, sed verecundia haesitantis suaviter confortat, ut libere quid sit causae, eloquatur. Latuit philologos poetriam inter colloquia Christianorum et paganorum hanc differentiam utpote ex ipsa fide Christiana ortam interposuisse. Nam cum Chremes et Menedemus, vicini quidem recentes, familiaritatem quandam sensim et caute loquendo instituere incipient, Abraham et Effrem iam pridem amicitia utebantur, veneratione Dei Christianorum coniuncti, qui sit fundamentum amicitiae.²² Ita fit, ut Effrem statim quidem promptus sit ad aurem petenti praebendam (I 2): *Nec ad momentum, ait, me subtraho, sed tuo affectui totum dedo*, cum Menedemus apud Terentium ambigat, utrum Chremes curiositate adductus, an familiaritatis appetens causam tristitiae ex ipso quaerat. Ecce verba Menedemi (75–76): *Tantumne ab re tua est otii tibi, / aliena ut cures, ea quae nihil ad te attinent?* Sed ei miserationem vicini novi initio avertere studenti Chremes omnia humana ad se ut ad hominem attinere respondet.

Non hic est locus, ut diiudicetur, Terentiusne ad hominum naturam describendam proprius accesserit an Hrotsvitha. Huc accedit, quod in dubium vocandum est, utrum id quod humanum est, natura bonum sit, an interdum potius malum. At quamvis res adhuc sub iudice sit, tamen necesse est concedas etiam loco quodam remoto, aestimatione populorum antiquorum apud Hyperboraeos sito, tot saeculis post Menandrum spiritum cultus atque humanitatis Graecorum animos hominum Christianorum intus aluisse magnoque se Europaeorum corpori miscuisse – si licet versus clarissimos unius e patribus Europae, Vergilius scilicet, nova ratione exponere.²³ Nam, si res acrius inspicias, cum integrum spectaculum *Abrahae*, tum vel maxime primus eius actus tribus columnis, ut

²¹ Hic notandum est Hrotsvitham sententiam Actuum Apostolorum narrativam sensu iussivo mutavisse.

²² Cf. Alredi definitionem amicitiae in nota undevicesima allatam: *Amicus in spiritu Christi adhaerens amico etc.*; si consideres Abraham et Effrem ad laudes Dei dicendas profecturos esse, cum amicitiae Christianae mentio fiat, hic locus Augustini in capite quinto tractatus undequadragesimi in Iohannis evangelium enuntiatus aptissime laudetur: *si accedentes ad Deum (!), multae animae per caritatem una anima est et multa corda unum cor etc.*

²³ Cf. Vergilius, *Aeneis* 6, 726–727.

ita dicam, Graecis ope litterarum Latinarum cultui Europae occidentalis traditis ntitur, quae sunt comoedia Terentii vel potius Menandri, definitio Aristotelica amicitiae ut summi affectus humanitatis, historiola Abrahae et Mariae, neptis eius, e Graeca lingua in Latinam versa. Ita praesumpta barbaries septentrionalis humanitate Graecorum adjuncta fide Christianorum per feminam sanctimoniale litterarumque antiquarum studiosam mutata est in melius.

Fortasse in ipso fine convenit indolem Graecorum sequi et ritu satyrorum vertentes seria ludo²⁴ eam quoque sententiam considerare atque perpendere, quam anno millesimo nongentesimo octogesimo secundo Guilelmus, sive Willi, Hau, natione Germanus, enuntiavit, quam Eckard Lefèvre item loco extremo symbolae in nota prima laudatae posuit: Ilocator ille corpus sententiarum lusibus verborum risum moventium edidit, quas Sententias spontaneas, Theotisce vero Sponti-Sprüche, inscripsit.²⁵ Inter quas una est, quam si Latine vertas, ita sonat: *Humani nihil a me alienum est – sed interdum mihi satis est superque humani*, Theotisce vero „Nichts Menschliches ist mir fremd – aber manchmal ist es mir zuviel.“²⁶

LIBRORUM COMMENTARIORUMQUE CONSPECTUS

Editiones et commentaria

Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami, tom. I, vol. 2, ed. P. Mesnard†, Amsterdam 1971.
Erasmus von Rotterdam, Ausgewählte Schriften, vol. 8, *Ciceronianus, Adagiorum Chiliades*, ed. Th. Payr, Darmstadt 2016⁵.

Hrotsvithae Opera, ed. H. Homeyer, München 1970.

Hrotsvit, Opera omnia, ed. W. Berschin, München 2001.

Epistolarium Iohannis Sarisberiensis, ed. W.J. Millet, H.E. Butler, C.N.L. Brooke, Oxford 1979.

Studia aliaque subsidia

Brunhölzl 1992: F. Brunhölzl, *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters*, vol. 2, München 1992.

Dronke 1992: P. Dronke, *Women Writers of the Middle Ages*, Cambridge (UK) 1984.

Fürst et alii 2006: A. Fürst, Th. Fuhrer, F. Siegert, P. Walter (eds.), *Der apokryphe Briefwechsel zwischen Seneca und Paulus*, Tübingen 2006.

González Caballo 2016: A. González Caballo, *Hrotsvithas Dramen und Terenz. Diese Problematik in „Abraham“*, Universidad de Salamanca, Trabajo de fin de grado 2016: <https://gredos.usal.es/handle/10366/132758> (29.05.2021).

Gorys 2005: E. Gorys, *Lexikon der Heiligen*, München 2005.

Jocelyn 1973: H. D. Jocelyn, „*Homo sum: humani nil a me alienum puto* (Terence, Heauton timoromenos 77)“, *Antichthon* 7 (1973), 14–46.

Hau 1982: W. Hau, *Sponti-Sprüche. (Ich geh kaputt, gehst du mit?)*, Frankfurt am Main 1982.

²⁴ Cf. Horatius, *De arte poetica* 226.

²⁵ Hau 1982.

²⁶ Lefèvre 1986: 49.

- Lefèvre 1986: E. Lefèvre, „Ich bin ein Mensch, nichts Menschliches ist mir fremd“, in: *Wegweisende Antike: zur Aktualität humanistischer Bildung; Festgabe für Günter Wöhrle*, ed. O. Hering (Humanistische Bildung: Beiheft 1), Stuttgart 1986, 39–49.
- Lesky 1971: A. Lesky, *Geschichte der griechischen Literatur*, München 1971³.
- Primmer 1966: A. Primmer, „Die homo-sum-Szene im *Heautontimorumenos*“, *Wiener Studien* 79 (1966), 293–298 (= Texte zur Handlungsgliederung in Nea und Palliata, Berlin – New York 2015, 27–30).
- Rädle 1983: F. Rädle, „Hrotsvit von Gandersheim“, in: Die deutsche Literatur des Mittelalters, Verfasserlexikon 4, Berlin – New York 1983², coll. 196–210.
- Smolak 2001a: K. Smolak, „*Gentilium delicias abstinentia devito*. Die Dramen der Hrotsvit von Gandersheim als anagogische Einheit“, in: *Pontes I (Akten der ersten Innsbrucker Tagung zur Rezeption der klassischen Antike)*, ed. M. Korenjak, K. Töchterle, Innsbruck 2001, 162–179.
- Smolak 2001b: K. Smolak, recensio: „A. Tamerl, Hrotsvith von Gandersheim. Eine Entmystifizierung, Gräfelfing 1999“, in: *Anzeiger für die Altertumswissenschaft* 53, 3/4 (2001), coll. 226–241.
- Smolak 2010: K. Smolak, „Three Latin Paratexts from Late Antiquity and the Early Middle Ages (‘Sulpicia’, ‘Seneca’ – ‘Paulus’, Carmen Navale)“, in: *In the Second Degree. Paratextual Literature in Ancient Near East and Ancient Mediterranean Culture and its Reflexions in Medieval Literature*, ed. by Ph.S. Alexander, A. Lange, R. Pillinger, Leiden–Boston 2010, 219–237.
- Staubach 1991: N. Staubach, „*Graecae Glorie*. Die Rezeption des Griechischen als Element spätkarolingisch-frühottonischer Hofkultur“, in: *Kaiserin Theophanu. Begegnungen des Ostens und Westens um die Wende des ersten Jahrtausends*, vol. 1, ed. A. von Euw, P. Schreiner, Köln 1991, 343–368.
- Wimmer, Melzer 1982: O. Wimmer, H. Melzer, *Lexikon der Namen und Heiligen*, Innsbuck–Wien–München 1982.